

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18

2
CAPITALE
IN PEDILAVIO
BALNEUM,

Pro
Septem CAPITALIBUS Vitijs,
in totidem

Sangvinis THEANDRICI Effusionibus
à CHRISTO Patiente instruetum;

A

Reverendissimo , Perillustri , Eximio , &
Amplissimo Domino

D. GREGORIO GEORGIO
DE KRIGELSTEIN ,

Sacro - Sanctæ Theologiæ DOCTORE ,
Sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis ad S. Vitum
ECCLESIASTE , Ejusdémque , uti & Regiæ Exemptæ Wis-
senschaftensis , nec non Antiquissimi Capituli Vetero - Boleslavicensis
CANONICO , ac supremo in Regno Bohemiæ
QUESTORE ,

REPRÆSENTATUM:

Coram

Reverendissimo & Celsissimo Principe,

Domino, Domino

JOANNE FRIDERICO

è COMITIBUS de WALDSTEIN
ARCHI-EPISCOPO PRAGENSI,
LEGATO NATO,

S.R.I. PRINCIPE, Regni Bohemiæ PRIMATE,
Domino Hæreditario in Dux, & Oberleütensdorff, Sacri
& Militaris Ordinis Crucigerorum cum Rubea Stella per Bo-
hemiam, Moraviam, Silesiam, ac Poloniæ Supremo, ac
Generali MAGISTRO, necnon Universitatis Carolo-Fer-
dinandeæ Pragensis Amplissimo perpetuoque
CANCELLARIO,

In presentia


Illusterrimorum, & Excellentissimorum
DD. REGNI PROCERUM

Mandatum Christi novum, per consuetam Pedilarij
Ceremoniam,

In Basilica Sancti Viti,

Feriâ V. Majoris Hebdomadae, Anno M. DC. LXXXIX.
exercente.





ORATIO.



Apud ad pedes. En novum inversi
mundi Portentum! Mundissimum universi
mundi Caput, ad immundos pedes. En
grande in *grandi Cenaculo* spectaculum! spe-
ctare Capitolium in pedemontio; Caput
Pædagogi ad pedes Discipulorum; Supremū

Ecclesiæ Caput ad pedes Ecclesiæ Ministrorum. O! Multi-
plex in uno facto Mysterium. En Christus. *Cujus Caput*
aurum optimum, mundi pretium, thesaurus fidelium, *in quo abs-*
tendit sunt omnes thesauri Sapientia, & Scientia DEI. Primus
omnium sese abjicit ad pedes Apostolorum. O! præclarum
exemplum! quod imitata Christianitas, heroicam illam in pri-
mitiva Ecclesia usurpavit consuetudinem, pretia suarum rerum,
& thesauros deponendi ad pedes Apostolorum. ô! quam speciosi!
ô quam gratosi pedes evangelizantium, ad quos totius mundi
pretium est hodie depositum, nè dicam profusum & abjectum.

Nempe post Mosaicam Agni Legalis Cænam, Euan-
gelicum, imò Angelicum instructurus Discipulis Convivium;
(in quo de frumento electorum: seu carne suâ, speciebus panis ce-
latâ; Cœlo militaris Providus Imperator præberet Congia-
rum

*Marci 14.
Cap.*

*Cant. 5.
Colof. 2.*

Aetor. 4.

*Ad Rom.
10. c ap.*

Zach. 9.

*Plinius in
Trajano.
Salustius
in Catil.*
*Mat. 15.
Alex. ab
Alex. l. 4.*
Lacte 22.
Mat. 16.

rium annoꝝ : Simulq; impium Catilinæ, cum hostibus Patriæ,
 proprio propinato sanguine , conjurantis facinus , pientissimo
 correcturus exemplo ; suis, adversū Orcum , conjuratis Mi-
 litibus , calicem pretiosi sanguinis sui propinaret) priùs ad ab-
 luendos Discipulorum pedes procumbere voluit Christus , ut
 eos, qui Nativæ rusticitate , usque ad Pharizæorum scandalum,
 nec manus lavabant usualem manducaturi panem ; nunc veteri
 Nobilium Urbanitate per balneum initiaret ad ultimam Agni
 Legalis cænam . Nisi malimus dicere : Christum dispergendif
 postmodùm in orbem Universum Missionarijs hisce Aposto-
 licis, præter novum Eucharistiaꝝ Viaticum , novos etiam, utpote
 per pedilavium renovatos pedes , præparasse ad iter Euangelij :
 quos dum svavissimo insuper sacriOris demulcet basio , solidare
 contendit in Basæs ; & veluti aureas pedicas , & Compedes per
 charitatis osculum inserit illis pedibus , quos in prima statim
 passionis suæ statione , prævidet fore fugitivos . Denique ca-
 lenti pedilavio , plenum humilitatis adjungit osculum , ut simul
 pro ablwendis illorum Capitibus , tumore superbiæ (ex recenti
 illa contentione , quis eorum videretur esse major) perniciose in-
 flatis , efficax ex cinere abyssalis suæ abjectionis pararet lixivium ,
 & tumorem ex Capitibus detraheret in pedes pavonicos , pro-
 prij nihil admonitores .

Sed quid audio ? quid video ? Primus Pedilavium recusat
 Petrus , cui primò ad pedes provolvitur Mundissimum universi
 mundi Caput . Recusat Pedilavium , quia ferre non potest no-
 vum hoc inversi mundi portentum ; fortè quia præfigit in hoc
 spectaculo futurum suum inversæ Crucis Martyrium , inverso
 ad pedes Capite crucifigendus . Recusat pedes suos ablui aquâ ,
 fortè quia Simon Barjona , seu filius Columba est , assimilari cu-
 piens illis Columbis , quæ Canticorum s. dicuntur Columbae
 lacte ,

lacte, (non aquâ) lotæ. Nisi fortè ultra lac etiam butyrum
 Emmanuelis desideret pro Pedilavio, ut gloriari possit cum Jo- Job. 29.
 bo, lavabam pedes meos in butyro, & petram ihi (Petru) fundebat
 rivos olei. Recusat pedes aquæ immergere, præagiens fortè
 illud submersionis periculum, in quo ambulans super aquas capi- Matt. 11.
 mergi. Sed mitte vanos timores modica fidei! destinatus es ad
 crucis patibulum, noli in pedilavio metuere submersionis peri-
 culum; quod pendere debet, non submergitur. Recusat denique
 pedilavium, quia aspirat ad Capitale balneum; non solos pedes,
 sed etiam Caput lavari desiderans. Hinc illud amplius lava me! Psal. 10.
 hinc inquam illud: Domine non tantum pedes, sed & manus & Joann. 13.
 Caput. Quia à planta pedis usque ad verticem Capitis immun- Isa. 1.
 dus sum, utpote ex immando Adami egressus Seminatio, ma-
 culâ originali in capite Adami contractâ, & in septena Capitalia
 peccatorum ulcera degenerante fædatus. Domine non
 tantum pedes, sed amplius, amplius lava me: non tantum pedes
 sed & caput; non tantum pedes Petri, sed & Caput Adami in me
 ablue; non tantum pedale, sed & Capitale ulcus, linteo quo præ- Joann. 13.
 cinctus es, exterge; septem Capitalia vicia extersurus unâ fi-
 deliâ, & septem immundos Spiritus memet ipso (quem nuper Sa- Matt. 12.
 tanam compellâsti) nequiores lustrali hâc aquâ per manuum
 tuarum contactum benedictâ fugaturus.

Bene habet! modica patientia tibi ô Petre est necessaria. Hebr. 10.
 Hocce pedilavium, est Capitalis balnei præludium. Post hunc
 baptismum fluminis, mox sequetur baptismus sanguinis. Ba-
 ptismus & balneum istud aque sufficit quidem ad abluendas for-
 des pedum, defectuum venialium; at maculæ Capitis balneum
 exigunt sangvineum. Ad abluenda venenosa septem cipitis
 Hydra Capita, non sufficit aquæ Hydria; nec septies lavare suffi-
 cit, in aquis Jordani cum Naaman Syro Adamiticam septem
 capita- 4. Reg. 5.

capitalium vitiorum lepram ; balneo opus est plusquam Constantino ; quod ex innocentissimo suo sanguine septenis effusionibus, velut septem ostijs Nili in passione profuso, Medicorum uti Excellentissimus, ita expertissimus instruxit Theander Homo-Deus. Modica patientia ! evocabo etiam te ô Petre ! ad Capitale hoc & sanguineum balneum ; postquam à Celsissimi Principis & Reverendissimi Archi-Præsulis gratia, ab Excellentissimorum Regni Procerum favore, ab Illustrissimorum, & Reverendissimorum Dominorum Capitularium, cæterorūmq; omnibus Competentiæ titulis Honorandissimorum Auditorum benevolentia, modicam adhuc impetravero Patientiam ! Et cum hac, Licentiam continuandi secundam partem mei discursus, in qua evocabo Adamum, sicut totius Generis humani, ita & Capitalium vitiorum Caput, ad Capitale balneum, ex Christi patientis sanguine instructum.

Gen. 3.

Adam ubi es ? ô Adam ! Homo , seu factus , seu verus , in modo & factus , & verus ; quia non per fictionem Juris , sed per figuratum luti , formatus in hominem verum. O Adam ubi es ? huc , huc ades ad balneum , in quo ablucas non tam latum ex quo formatus es , quam maculas , quibus te , tuamque Progeniem turpiter sordidasti , voluntaria Metamorphosi deformatus , in monstrosam septem Capitum Hydram ; Serpentis astu præcipitatus , in primum Capitale vitium Gula. Eras cognatus mundi , utpote cum mundo natus in illo principio , quo DEUS creavit cælum & terram ; sed ex Cognato mundi , factus es affinis inferni , edendo pomum Scientiæ : editurus deinceps mera maculatoria in libris , (dicere volui) in liberis , & posteris , Maculâ Originali notatis. Huc ergo maculate Adam , huc maculata Adæ posteritas , non libera , sed serva peccati Hortensis . Huc huc ex horto Paradisi , ad hortum Gethsemani ; huchue à quatuor fluvijs

Gen. 1.

fluijs agri Damasceni, ad sanguineas Thermas Montis Oliveti.
 En Jesus Nazarenus, verè floridus, post pedilavium (primum
 Capitale balneum ex suo sanguine instructurus Gulæ Vestrae
 in Horto) pavere incipit , tremit membris , trepidat artubus , pal- *Matt. 26.*
 lescit vultu , anhelat pectore , trepidat corde , horret mente ; de-
 nique , tristatur ad mortem : dicere debui : ad Morsum feralem il. *Ibidem.*
 lius pomi , de quo Gen. 2. *in quocunque die comederis ex eo , morte*
morieris. Hinc mors à mortu derivatur per Grammaticam ;
 sed per Gulam transit in Posteris Adæ , in quo omnes pomum
 momorderunt . O ! arbor Scientia ! non arbor vita , sed arbor
moris , & prima radix nostræ mortalitatis . O ! arbor Consan-
quinitatis illius maculosæ , quæ ab Adamo & Eva descendentes in
 Jericho , privas hæreditario Jure ascendendi in Jerusalem . O !
 arbor , imò truncus , stipitibus sudibusque praestis durior , bolum
 progignens usque adeò durum , quo vel ipsa Gula nostra præ-
 focatur ; & quem , nec ipse DEI Filius post quadraginta dierum
 jejunium famelicus , deglutire , absumere , & digerere potuit
 sinè haustu , sinè calice amarissimæ Passionis , sibi in horto per An- *Matt. 26.*
 gelum Confortantem propinato . Talis enim potus condecebat
 talem bolum ! cuius cruditatem , nè dicam crudelitatem , ut anti-
 quis Adam exsudaret ; vel ad solum aspectum amarissimi Cali-
 eis novus Adam sudare cogitur sanguinem , usq; adeò copiosum ,
 ut ejus guttæ non stillasse , sed decuruisse dicantur in terram . Nem- *Luc. 22.*
 pe ut tam liberaliter exsudatus sanguis sufficeret ad Sudoriferum
 balneum Adami , ejusque Posteritatis , in quo venenum intoxica-
 ti à serpente pomi exsudarent . Huc igitur , huc ad sanguineum
 balneum citata adesto Gula Capitus , primum Capitale pecca-
 tum ! In hoc Capitale balneum immersi , natate gulosi Nepo-
 tes , quibus pomi vetiti ambesillus , etiamnum hæret in gutture ;
 & natantes in exsudato Christi sanguine , dicite : *Nos poma natamus.*
 Verum

Verum enim verò quemadmodum plenus venter despu-
mat in libidinem, ità Proto-Parentis Gula in Luxuriam degenera-
vit in Adamæis Nepotibus. Revolvamus tantisper cogitatio-
nem nostram in prima Nascentis Mundi incunabula, & Cunas
nascentis Luxuriæ deprehendemus in conjugali thalamo La-
mechi.

Gen. 4. En Lamech Adami per infamem lineam Caini Pro-
nepos, *bis amans, bis amens*. Unosquidem non contentus jugali
vinculo, duas sibi simul junxit pellices, Primus *ex Bigamia irre-*

Emm. Thes. gularis. Verè *Lamechus*, primus *Machus*, qui dum ex germina-
to hymenæo septuaginta septem suscipit liberos, liberale fundat
Luxuriæ seminarium.

Gen. 4. Ex cuius viscolo cæno, etiam illa lubri-
ta emerserunt germina, *Jabel, Jubal, & Tubal*, Lamecho Pa-
tre fædiiores filij, famosi œconomiae Venereæ Procuratores.
Primus squidem Mortalium *Jabel* tentoria construxit *pellicea*,
sub quorum fornicibus habitarent *Pellices* fornicationum ; &
ovillis pellibus tegerentur *Lupe* in suis lupanaribus. Primus
itidem inventor Musicæ *Jubal*, per *choros*, & *choreas* libidinem
animavit in *Jubilum*; per *Lyram* amorem concitavit in *delirium*;
Plectrum fidum inflexit in *arcum* infidi Cupidinis, quò *chordas*
feriret, & *corda*. Primus deniq; fabrorum *Tubal* ferri duritiem,
igne plusquam Cyprio liquavit in mollitiem; emollitum circu-
lavit in annulos Luxuriæ pronubos; annulos concatenavit in

Odyss. 8. vincula, quibus Martem, (Viros etiam ferreos) jungeret Vene-
ri. Ut ex hac Historia suam illam Poëtæ apud Homerum
mutuâ se videantur fabulam, de Vulcano, *Martem cum Venere*
concatenante. Et verò tantum statim ex hoc *Tubalis* fabrili

Gens. 6. excitatum est in orbe universo incendium, cui extingvendo
mox subsecutus universalis diluvij non ità sufficit Catacly-
smus, quin paulò post lascivis Sodomitarum folibus, gliscen-
tes sub doloso cinere Scintillæ animarentur iterum in illas piceas

& sulphureas flammas , quas nec mare mortuum (Cocyto simile , ex cuius spuma nata est Venus) Pentapolim etiamnum inundans , sopire potuit ; sed necessarium præterea fuerit novum mare Rubrum ex sanguine Christi flagellati intumescens in salutare fædissimæ Luxuriæ lavacrum.

Huc igitur , hue adeste Adami Nepotes , Lamechi Mœchi ex Ada est Sella filij , priùs adulteri , quām adulti ! Spectate JESUM in Pilati Palatio , ad columnam ligatum , vestibus nudatum , flagris cruentatum , excoriatæ pecudi similiorem , quām homini , vestro percussum scelere ; Icelere abominabili , scelere in-nominabili , scelere illo Capitali , quo omnis caro corruperat viam su-am . Hinc tantum sanguinis à Christo flagellato per quindecim plagarum millia , effusi diluvium ! Hinc istud Capitale pro capitali Luxuriæ ulcere eluendo balneum ! Huc huc Jabel , huc Jubal , huc Tubal ! In hoc balneo Jabel lava pelicea tentoria , quæ Pellicibus primus extruxisti In hoc balneo Jubal tuam Cy-tharam verte in luctum , & lascivas fidium chordas , concorda ad tactum , & feralein sonum flagellorum . In hoc balneo tuam ablue fuliginem , ô Tuball Fabrorum supra dorsum flagellati Christi fabricantium antesignane . Tuam , inquam , hic ablue fuliginem , quam à carbonibus desolatorijs ad ignem Cypriū contraxisti .

Sed , eheu nec ad inmaream Christi flagellati columnam , plusquām Herculeam , sistit Capitalium propago Vitiorum ; binis jam in Theandrico sanguine demersis stygiæ Hydræ capitibus , succrescit tertium ; in luxum , & fastum Superbia degenerante Luxuria Chami , Noë Flij . Nempe Chamus dum Camum & frenum laxat libidini , in ipso salo salax , ipsamque arcam Nöeticam intempestivo temerans thalamo , Primogenitum suscepit filium Chus , & ex hoc famosum illum Nepotem Nembrod : primum post diluvium gigantem , non

Gen. 4.

Gen. 5.

Job. 38.

Psal. 128.

Psal. 119.

Psal. 31.

Emm. Theb.

minus corpore latum , quam animo elatum , fastuosæ arrogantie Primipilum , & inauditæ ad eum usque diem superbie Capitaneum . Utpote qui primus Idololatra , semetiplum pro DEO colendum in lapideo Idolo Beli proposuit ; & ne terrestris tantum DEUS videretur , scalam fabricare cœpit in turri Babel , per quam cœlum conscenderet , similis futurus Altissimo . Et idcirco superbo ulcere tumidus , cœterorum quoque capita tumefecit , venenatâ illâ fastuosæ conspirationis tesserâ : *Faciamus nobis turrim , cujus cacumen pertingat ad cœlum , & celebremus nomen nostrum.* Cui capitali lepræ eluendæ , cum nec aquæ Euphratis Babylonem absorbentes sufficerent , Capitale debuit instrui balneum , ex sangvine Capitis Christi , spinis coronati .

Gen. ii.

Cant. 3.

Jerem. 51.

Cant. 3.

Isai. 9.

Hym. Eccl.

Egredimini Filia Sion ! Imò vos prius egredimini *Filia Babylonis* ; quæ superbo luxu in sertum fastuosi Capitis decerpstis rosas , relinquentes humili Christo spinas in Coronam . Egredimini superbæ Babylonis filia , Adameæ ex Nembrodo Neptes . Ingredimini sangvineum Theandrici capitis balneum , in quo fastuosa tumidi capitis vestri ulceræ eluatæ ad sanitatem , ne iterum suos cogatur recantare threnos Jeremias : *Curavimus Babylonem , & non est sanata , quoniam pervenit usque ad calos iudicium ejus , & elevatum est usque ad Nubes , superbum caput ejus.*

Nunc demum post Filias Babylonis , egredimini *Filia Sion* ; & videte Regem Salomonem in diadema spinoso , extra Sionæam urbem egredi , & progredi ad montem Calvariæ , ad thronum Regni sui . Ecce ! jam factus est *Principatus super humerum ejus* , dum crucem bajulat in humero . Nunc nunc impleta sunt , que concinit David fideli carmine , dicendo Nationibus ; *regnavit à ligno DEUS !* Nunc nunc vexilla Regis prodeunt , fulget crucis Mysterium ; exhibens in compendio , quadruplex sangvineum , pro totidem residuis capitalibus vitij balneum . En prodit bellator fortis ,

cruce

erue instructus contra fortem armatum Beelzebub ; velut David *Luc. ii.*
 instructus baculo contra Goliathum. En primus *Generalis Crucis*
cigerorum Magister triumphale Crucis signum , cruciatæ vexil-
 lum militiæ præferens , & quasi tuba exaltans vocem suam , canit
 classicum , quo ad Crucis labarum socios , & comites , crucis
 bajulos evocat ; qui vult venire post me , tollat crucem ! Accurrite
 Filij ! accurrite filia Sion ! accurrite adamæ Nepotes de Tribu
Jssachar , asini fortis ad ferenda crucis onera. Accurrite ! ad-
 volate , ad hoc à Christo decantatum Crucis invitatorium !
 Hein ! nemo comparet. Surdis canitur durus cum cruce , & de
 cruce cantus . O ! tardi , vecordes , torpescentesque Mortales .
 O ! pigri Adæ Nepotes , ex stirpe *Jssachar , asini fortis* quidem ,
 sed accubantis inter terminos acediæ , & cubantis in pulvinari
 diaboli ! spectant Christum Crucis bajulum *quatuor milliones ho-* *Gen. 49.*
minum , ad diem festum Paschæ Jerosolymam ex præcepto Sy- *Drex. c. 5.*
 nagogæ confluentium ; & tamen nemo ex tot repertus est , qui paciente.
 vel uno digito spontè cruci supposito sublevaret divinum hunc
 Atlantem , sub tanto pondere fatiscentem . Tandem , post-
 quam attritus à cruce Christi humerus , in grande hiaret vul-
 nus , ex quo uberrimus pro quanto Adamiticæ *Acedia* balneo
 manaret sanguis ; & JESUS , sangvine , viribus , & ipsâ pene
 vitâ destitutus , progredi ultrâ haud posset ; tandem , tandem
 unicus , sed angariatus , sed coactus , sed violentè compulsus ,
 eruci humeros supponit *Simon Cyrenæus*. Simon Cyrenæus ?
 Hein ! quid hoc ? ubi est *Simon Barjona* , ubi *Simon Petrus* ? itarie
 futurus Christi in urbe & orbe Vicarius , Vicariam Crucis feren-
 dæ operam sibi patitur præripi , à rustico *Simone Cyrenæo* ? O
 Simon Petre , ubi es ? *Simon : dormis* ? Simon Petre , etiamnum *Marcii 14.*
 dormis ? audin ? *Gallus jacentes excitat* , & somnolentos increpat .
 Ex hymno
 Ter jam cantavit Gallus ; *surge qui dormis , jam hora est de somno* *Ecclesiastes*
Eph. 5.
surgere ,

*surgere , post ternum gallicinum . Iterum bonus Angelus
 Act. 12. percosso latere te excitat : surge velociter ! excute somni caliginem ,
 caligantes exterge oculos , calcea te caligas tuas . Imò depone
 calceamenta pedum , ingressurus , ô ! Simon leprose illud , quod
 nuper in pedilario desiderasti capitale balneum Acedia ; in quo non
 tantum pedes , sed & manus , & caput ablucas . En sangvineum
 in vulnerato Christi crucem bajulantis humero , balneum ! in
 hoc cum cæteris Adami ex Issachar Nepotibus , lava pedes , quos
 pigritiae tumor impedivit ad decurrentias vias mandatorum DEI ;
 lava manus , quas Acedia langor enervavit , ad pralianda pralia
 Domini ; lava caput , quod ita aggravavit somnolentia , ut ne
 Matth. 26. hominem nosses ; simûlque in abluto capite , lethargô gravatos ex-
 terge oculos , ad spectandam ultimam sanguinariæ Tragœdiæ
 catastrophen .*

*Ipsa. 40. En pendet in monte Golgotheo , tribus clavis affixus ille ,
 Psal. 26. qui tribus digitis appendit orbem terrarum . Pendet in monte Gol-
 gotheo ille , qui in psalmis dicitur , Mons DEI mons pinguis , mons
 in vertice montium . Pendet in monte Golgotheo qui Calvaria
 dicitur , præcipue à calvaria ibidem sepulti Adami capitalium vi-
 torum capitum , post diluvium a Noë reperta . Pendet in ligno
 infami ille , qui lignum est vita , ut solvat damna ligni scientia ex
 prodigalitate Adami emergentia . Pendet appensus in crucis
 Stanihurst in no- statera Homo - DEUS ; quia appensus ad stateram Justitiae , inven-
 vissimis . tatus est minus habens homo reus . Pendet medius inter duos la-
 trones in monte Golgotheo ; qui nuper medius inter duos Prophe-
 tas stetit in monte Thaboreo ; sed in monte Thaboreo in vesti-
 bus super nivem dealbatis , totus candidus , in monte autem Gol-
 gotheo , totus rubicundus , à proprio sangvine , quem tum ex
 manuum , tum ex pedum , tum ex aperti lateris vulnere , ad ult-
 imam usque guttam profundit in triplex balneum : Avaritiae ,
 Iræ , & Invidiæ . Huc*

Huc huc Avaritia , manus tuas *sordidas* , quād ad dan-
dum tenaces , tam ad accipiendum rapaces , ablue in sanguine
decurrente , ex liberalissimis Christi Crucifixi manibus , quas
moriturus etiam *claris* , velut *claribus* benignè aperit ; ut impletat
omne animal largâ benedictione. Huc huc avarorum Antesigna-
ne Giezi , cuius semini cum acceptis fraudulentè muneribus ,
lepra Naaman adhæsit usque in sempiternum . Huc Judæ propago !
Hic leprosas emunda manus , hic sacram auri famem exsatura ,
hic ardenter hydropicæ avaritiae sitim restingve in sanguine
manuum Christi Crucifixi .

Huc etiam huc præcipiti gressu accurre præceps Iracundia !
Huc , huc Viti sanguinum , huc huc filij iræ , quorum veloces pe-
des ad effundendum sanguinem . Huc huc ad pedes mitissimi Cru-
cifixi ! Huc huc homicidarum primipile Cajn . En! Vox sanguini
Fratri tui clamat de terra ; evocans te ad sanguineum vulne-
ratorum Christi Pedum balneum : ut intingatur pes tuus in san-
guine hujus agni mitissimi ; & cum bile belluinam eluas ferita-
tem .

Huc denique ad *vulnus cordis* , Charitati semper *invisa* , &
nunquam bene videns proximum Invidia ! Utpote alienas vir-
tutes per *minuentia* , alienos vitiorum nævos per *augentia* aspi-
ciens *ocularia* ; cui oculos aliena exulcerat *felicitas* , demulces
miseria .

Huc huc excæcata per cæcam fortunam alienam Invidia !
Huc ad sanguinem ex aperto manantem latere ; quod dum *unus*
militum , cæcus Longinus , lanceâ aperuit , visum recepit . Nem-
pe præstantissimum , tum *non videntium* , tum *invidetum* ocu-
lorum Collyrium est , manans ex syncero & charitativo Christi
pectore sanguis , efficacior illo felle piscis , quo suam Tobias ab-
luit cæcitatem . Huc huc fraterna invidia *fera* *pessima* , quæ
devo-

Psal. 144.

4. Reg. 5.

Psal. 13.

Gen. 4.

Psal. 67.

Tob. 11.

Gen. 37. devorasti Joseph, mittens eum in Cisternam veterem, Huc pro-
i. Para. 11. pera ad Cisternam Bethlehem è pectori in Bethlehem nati, in Je-
 rusalem mortui Theandri securientem. Vade cum illo cæco
Johann. 9. ad Nasatoria Siloë, lava oculos, ne videas, & non invideas.

2. Pet. 2. Huc denique properate omnes Insani peccatores, malefa-
joan. 5. na ex capite Adami, per septem Capitalia peccata descendens
 propago ! Vos præsertim, Recidivi ; sus lora quidem saepius,
 sed iterum in voluntario lutu adamitici sordidata ! Huc ad piscinam
Probaticam, septena sangvinis Theandrici profusione exundantē.

Joan. 19. En ! Mota jam est hujus piscinæ aquæ, postquam ex aperto mor-
Joan. 5. tui DEI-Hominis latere exivit sanguis & aqua. Descendito
 hoc descendite in hanc piscinam post motionem aquæ, ut sani
Apoc. 7. fiat à quacunque tentati infirmitate. In hac piscina capitalis bal-
Phrasis
medica. ne, non tantum caput per superbiam tumidum ; sed etiam Cor,
 per Invidiam lividum ; & Os per gulam coinquinatum ; & Ma-
 nus per avaritiam sordidatas ; & Pedes per Acediam enervatas ; &
 Hepar per fel Iracundia exulceratum ; & Renes per luxuriam in-
 flammatos ; membra denique Corporis omnia , omnésque ani-
 mæ potentias , lepræ capitalium vitiorum infectas , abluite, mun-
 date , sanate , in hoc capitali balneo Christi , qui lavit nos à pec-
 catis nostris in sanguine suo. Quodsi balneum istud aut siccum
 videtur à jejuna dictione mea , aut à calentissimo Christi san-
 gvine nimis calidum ? Balnei, seu siccitatem , seu caliditatem , af-
 fusis pænitentia lacrymis attemperate ; & Magdaleno hocce arti-
 ficio , balneum Mariae efficietis ex balneo Christi ; quod in grandi
 Cænaculo per Pedilavium auspicatum , & in monte
 Calvariæ per ultimum sangvinis è corde pro-
 fluvium , consummatum est.

PRAGÆ, typis Universitatis Carolo-Ferdinandea,
in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem.